



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

390. De Decanis per parroechias mittendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Require in primo libello, cap. CXCIII.

De eadem re. *Ex Concilio Aurelianensi.*

CCCLXXXVIII. Ut nulli civium Paschæ, Natalis Domini, vel Pentecosten sollemnitates liceat in villa celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

Concil. Aurelian. 1. c. 25.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

CCCLXXXIX. Ut cives qui Paschæ, Natalis Domini, vel Pentecosten festivitibus Episcopis interesse neglexerint in civitatibus suis accipiendæ communionis vel benedictionis gratia, qui hoc neglexerint, triennio communione priventur.

Conc. Agath. c. 63.

De Decanis per parræchias mittendis.

Ex Concilio Rotomagensi.

CCCXC. Ut populus admoneatur ut in dominicis & festis diebus omnes ad vespervas & nocturnas vigiliis & ad Missam omnimodis occurrant. Et ut Decani in civitatibus & in vicis publicis viri veraces & Deum timentes constituentur, qui desides & neglegentes commoneant ut ad Dei servitium absque occasione properent. Et ut ipsi Decani sacramento adstringantur ut nulla interveniente causa, scilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, neglegentes & transgressores reticeant, quin sacerdotibus proprias eorum culpas manifestent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia zelo & amore divino

Burchard. lib. 2. c. 239.

cum debita disciplina corrigere sicut ipsi no-
lunt pro aliorum erratibus sententiam iustæ
damnationis suscipere. Et ut dies festi à vespe-
ra usque ad vesperam absque opere servili
cum debito honore celebrentur.

De excommunicatis. *Ex dictis Cassiani.*

CCCXCI. Si quis autem pro culpa sua
fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo
orandi aut loquendi habeat licentiam ante-
quam reconcilietur. Nam qui se orationi vel
confabulationi ejus, antequam à Priore reci-
piatur, inconsiderata pietate sociare præsum-
serit, similiter damnatus efficitur.

De eadem re. *Isidorus ut supra.*

Regula S. Isi-
dori c. 17.
Burchard. lib.
11. c. 31.

CCCXCII. Cum excommunicato ne-
que orare, neque loqui, neque vesci cuiquam
licet.

Unde supra.

Burchard. lib.
11. c. 32.

CCCXCIII. Si quis frater aut palam
aut absconsè cum excommunicato fuerit lo-
cutus, communem statim cum eo excommu-
nicationis contrahit pœnam.

De eadem re. *Ex dictis Fructuosi
Episcopi.*

Regula S. Fructuosi c. 14.
Burchard. lib.
11. c. 33.

CCCXCIV. Cum excommunicato nul-
lus loquatur, neque qualibet eum compassio-
ne vel miseratione refoveat, neque ad contra-
dictionem vel superbiam confortare præsu-
mat.